

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Temptatio ah  
cum fonte primo

Non desinit antiquus hostis

temptationum laqueos ubique  
pretendere ut quoquo modo fidem  
credencium ualeat corrumpere. Nouit  
enim  
cui illecebras carnis ingerat,  
cui uirus inuidie infundat,  
cui incitamenta luxurie apponat;

nouit quem merore conturbet, quem  
gaudio fallat, quem metu opprimat,  
quem admiratione seducat;  
omnium discutit mores,  
omnium uentilat causas,  
omnium scrutatur affectus;  
et ibi querit causas nocendi,  
ubi uiderit quemquam diligencius  
occupari.

Leo papa in sermone.

Non enim desinit hostis antiquus,  
transfigurans se in angelum lucis,  
deceptionum laqueos ubique  
praetendere, et ut quoquo modo fidem  
credencium corrumpat, instare. Nouit  
cui adhibeat aestus cupiditatis,  
cui inlecebras gulae ingerat,

←

cui adponat incitamenta luxuriae,  
cui infundat uirus inuidiae,  
nouit quem merore conturbet, quem  
gaudio fallat, quem metu opprimat,  
quem admiratione seducat,  
omnium discutit consuetudinem,  
uentilat curas,  
scrutatur affectus,  
et ibi causas quaerit nocendi,  
ubi quemque uiderit studiosius  
occupari.

→

Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta*, 27, 3 (CCSL 138, A. Chavasse ed., p.134, ll.60-69).